Celeberrimo atque Reverendissimo Viro
Virtute, Pietate, Eruditione ac animi
fortitudine praestanti. Domino Nicolao
ab Ansdorff: Integerrimo totius
Thuringensis provinciae Archiepiscopo
divinitus electo: etiam vero Christi
Apostolo, Suo sanctissimo domino,
Patrono atque amico summo.

Gratiam et pacem per Jesum Christum
dominum propugnatorem ~~[illegible]~~ nostrum. Ante
Oblatus est mihi, ille pius et bonae indolis Ado-
lescens Conradus Viola, qui in optimo iuven-
tutis suae flore operam dedit sacris literis:
Ob illam suam strenuam et piam diligentiam
et morum integritatem: Venerabilis Vir
D. Iacobus pastor in Altendorff una cum
sua Ecclesia vocavit eundem Conradum
in munus Diaconatus. ~~Quare statui ipsum~~
~~tuae humanitati~~ Cum autem et ego iuvenem
quendam suae eruditionis sensissem, placuit
mihi ingenii eius dexteritas. Quare statui
ipsum tuae humanitati commendare, et supplex
oro, si tua Excellentia iudicaverit ipsum dignum
ad hoc ministerium Christi dei [illegible], ut

inaugurari possit, ad hoc sacrum verbi dei officium.
Videmus profecto messem plurimam, at cum do-
lore sentimus raros pios, et perpaucos fideles ope-
rarios. Dominum ergo patrem caelestem
toto pectore precamur, Ut ipse excitet, sui sancti
spiritus robore confirmatos milites, Ut intrepido
animo oppugnent gladio spiritus omnes adversarii
insidias atque technas. Quemadmodum te
antesignanum in externis periculis iam dudum
elegimus, Ut nos in summa Tyrannorum
supplicio, pro Christi gloria, fortiter consolari velis.
Quamvis corpore absens, at scriptis praesens
adstabis. Exhilaravit me nuper profecto,
tua egregia sententia, quam sanctissimo animo
ad me scripsisti, de Idolatrica angulari Missa
papae. Ego quidem utique utriusque animi totum
pedibus eo in sententiam, contra vias papistarum
Idola. Mussitant nunc multa parvenda (?)
de Caesaris fuco, Ut scio quidem nostri aliunt,
Nunc moliuntur blanda specie, nostra obliniri
pectora. Ignoro qua specie velit, Sed nos qui
Biblicae addicti sumus. Ut Polypus saxo (?) co-
imitare Christi verbi, agnoscimus Sathanae astus,
qui se transfigurare potest in angelum lucis.

Usque nobis imparent huiusmodi Larvae, Lemures
et Struthiones. Dominus enim ait: Non
deseram vos orphanos. Quare obsecro sis vir
fortis, viriliter age, et confortetur cor tuum,
Expecta dominum, et Christo oriente aderit nobis sine
quodam medio, quod nobis impossibile est ex-
cogitare. et tandem vindicabit nos, et Sanctum
Electorem, Dominum D. Joh: Frid: Ducem Saxoniae
cum suis omnibus Christo addictis liberabit. Amen.
O utinam hodie adesset laetissimus Christi ad-
ventus. Amen. Orate deum ut cum gaudio
expectemus eius iudicium. Data domi: Exaudi
1548

T. R. Pat:

deditissimus

Casper Aquila
pastor et superinten-
dens in Salfeld:

Reverendissimo et Celeberrimo viro, pietate,
doctrina et virtutum integritate Clarissimo
Dno. Nicolao ab Amsdorff Nuenburgensis
Provinciae Episcopo summo suo in Christo
Maiori, et veteri amico constanti.

Gratiam et pacem per Jesum Christum dominum nostrum pro-
tectorem adversus virulentam Sphingem Chymaeram
INTERIM Cerberum.

Nobiles isti ac strenui de familia Berlichingen
Gangolffus, Hartmannus, ac Sebastianus,
vocarunt illum adolescentem Georgium Götz,
ex oppido Jesnick, ut fungeretur munere
pastoris in pago Eichich, et quondam fuit aliquan-
tisper auditor florentissimae vestrae Academiae
Wittenbergensis, et operam Theologiae dedit.
Ita pollicitus est data fide, se pure velle docere
verbum dei, et secundum Christi praescriptum Sa-
cramenta administrare. Et quia audio ipsum
abhorrere a phanaticorum erroribus, Commendo
eum Tuae Excellentiae. Si enim certum me-
thodum purae doctrinae teneret, non dubito,
quin Reverentia tua eum ad hanc arduam
provinciam inaugurabit impositis manibus
et ardentissimis votis, ut tandem sacrum
Christi Evangelium sinceriter propagare queat,
in dei gloriam et Ecclesiae suae commodum.
Vale amplissime Praesul, et pro me, qui nunc sum
ab adversariis plus quam unum κάθαρμα καὶ
περίψημα reputatus, o misellus, domino orabis,
ut Sathanam et hos Aspides Interimisticas
sub pedibus nostris conterat. Amen.